

De colica paretico-epileptica ... / Samuel Herzog.

Contributors

Herzog, Samuel, active 1697-1698.
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Joh. Conradi Eitelii, 1698.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/crn46wq6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE

COLICA PARE- TICO-EPILEPTICA,

*Autoritate & Jussu Gratioſa
Facultatis Medica,*

Sub PRÆSIDIO

DECANI SPECTATISSIMI,

DN. RUDOLPHI JACOBI
CAMERARII,

Phil. & Med.D. Hujusq; Prof. Ord.

Academici Naturæ Curioſi,

Pro LICENTIA

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES

legitimè capeſſendi,

publicè reſpondebit

IN AULA NOVA,

SAMUEL HERZOG,

Helvetio-Bernas.

Die Aprilis. hor. ſol.

TUBINGÆ,

LITERIS JOH. CONRADI EITELII, 1698.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30769371>



I.



Ubi sub finem quarti vel principium quinti à nato Salvatore seculi græcos inter medicos claruit *Paulus*, à patriâ Aegina, Cycladum unâ, dictus *Aegineta*, libro tertio capite decimo octavo operis sui de re medicâ, memorabilem rarioris affectus proponit historiam, quam verbis *Johannis Guinterii, Andernaci*, interpretis integram huc transcribere juvabit: *Nost*

ate colicus quidam dolor incruduit: ex quo præsertim superstites futuros consummata artuum motus privatio comitabatur: tactus sensu, ut videtur, incolumi, cum criticâ quâdam ex alto abortâ transmutatione, unde motus plerisq; spatio temporis sponte rediit. Clarius aliquanto & prolixius eandem repetit libri ejusdem capite quadragesimo tertio, ubi hæc habet: Puto autem colicum affectum, qui etiamnum incrudescit, ex hujusmodi contrahi humeribus, (acribus, rodentibus, quales prius citaverat,) ut qui ab Italiæ regionibus inceperit, in aliis autem multis Romanorum reipublicæ locis pestifera cujusdam luis contagio simul grassetur. Quamobrem plerisq; in morbum comitiale, aliis in artuum resolutionem sensu incolumi, nonnullis in utraq; transit, ac eorum qui in comitiale morbum inciderunt, plures interiere. Ex illis verò, qui in paralyfin, non pauci evaserunt, tanquam causa, quæ ipsum tentaverit, per crisin finitâ. Sic igitur laborantes, medicus quidam in Italia curavit victus quadam ratione parum fida, sed multum audaci, nempe, quæ refrigeraret. Quibus quidem verbis affectum quendam Colicum, in Paralyfin & Epilepsiam terminari solitum, describit ut novum suæque ætate in italiâ exortum, ut longè hinc lateq; per alias provincias diffusum, denique ut frigidis, quod mirum Ipsi, curatum, Hæc prædicata erant stamina telæ nostræ, quam pertexendam sumimus, nostrorum temporum fraudes & morbos cum novo isto & pandemio Aeginetæ affectu collaturi, Faxit D E U S feliciter!

Provocari ad hunc Pauli Aeginetæ locum cœpit priori seculo, post longum satis ab illius temporibus silentium, eò quòd non nisi pauca & rara talis morbi apud arabes extabant vestigia, cum per germaniam quoque Medici passim observarent Colicam Paralytico-Epilepticam, eamque in scriptis publicis proponerent, itidem ut novam, ut multis communem. *Iac. Oetbeus* apud *Joh. Schenckium Observ. lib. 3. sect. prior. O. 148.* historiam colici doloris orditur his verbis: *Invaluit memoria nostra* (fuere autem ambo circa medium seculi prioris *Ruckeri, Fuchsi, Schegkij* virorum de Almâ hâc Eberhardinâ meritissimorum, celeberrimorum discipuli.) *colici quoddam genus, veteribus (excepto Paulo Aeginetâ.) ignotum, & à Recentioribus plerisq; non satis explicatum.* Quò novam *Phil. Paracelsi* medicinam quatuor disputationibus examinandam sumit *Thom. Erastus*, dum inter morbos, de quibus ille curatis fuerit gloriatus, resolutionis quoque post colicam meminit, *Paracelsus* utique ætate notum eo ipso talem affectum fuisse docet; sic autem inter alia: *Paulus Aeginetâ & recentiores græci unâ cum Avicenna hoc, quod frequens apud nos est, pruritus & infrequente accidente referunt. Quinimò in Italia & Gallia hodiè etiam insolens est, ut colicos dolores artuum resolutione excipiat. Quamquam in Galliâ sæpius visum legimus.* Testimonium novitatis inter Gallos adhuc præsentis seculo perhibet *Diatriba Franc. Citefi* de Novo & populari apud Pictones dolore colico, bilioso. *Thom. autem Jordanus* de Lue nov. Morav. eundem novum morbum, de quo in patriâ suâ ante annos plus minus triginta (scripsit autem anno prioris seculi octogesimo.) tanquam de peregrino & nusquam audito ingens fuerit murmur, deinceps familiarem & endemium, pannontiam, austriam, moraviam, cum aliquâ parte germaniæ opprimentem describit operosè. Cum in Italiâ suo tempore exortam colicam dicat *Paulus*, notabile omninò, quòd *Jordanus* addit: *In Italiâ certe jam dudum evanuit, cui rei fidem facit vel hoc, quod neque per Gallias vel Italiam præceptores nostros, publicis lectionibus, colica in paralytin transiens mentionem habuisse, neque lucubrationes ipsorum literarum monumentis comprehensas illius meminisse sciamus. Imo si qui illinc ut solent, medicine ad nos faciendâ gratia commearint, & ex improvviso illis occurreret curandus hic morbus, viri aliâs solidioris scientiæ & eruditionis, mirû quàm turpiter antequam ei consuescant, suam prodant insentiam.* Plurâ Scriptorum testimonia cumulare non opus est, sufficit ista Triga, ad demonstrandam vulgò creditam morbi novitatem.

III.

I. atuit ergò hæc Colica satis diu, aut desit post tempora Aeginetæ: Sed non ita post nostratum, quos laudavimus, ætatem. Durat enim ab avorum patrumque memoriâ ad finem hujus seculi, nec de malitiâ suâ remittens, nec intra angustiores terminos se concludi patiens, utpote provinciarum germaniæ plerisque nimis quàm nota, nec amplius in scriptis medicorum prætermissa. Et quis expertus non perhorrescat ad mentionem Colicæ spasmodicæ? Hoc enim Epitheton jam passim obtinet, quo non solum naturam ipsius declarare, sed & hanc Colicæ speciem ab aliis distinguere prætendunt hæcenus Medici. Quamvis quidem si cum alterâ, cujus historiam Paulo debemus, quis conferre instituat, eandem credimus vel similitudinem agnoscat & fatebitur. Brevis, quod negari nequit, est Paulus, non tamen obscurus, cum Tria recenseat planè pathognomonica, non aliàs ita jungi solita, quæ diversam à nostrâ colicam concipere vix patiuntur. Sunt ista, dolor, epilepsia, paresis; etenim hoc jam paralyti ex colicâ proprium est nomen, in contradistinctionem cujuscunque alius paralyseos s. post apoplexiam s. undecunque relictæ & productæ: Ita quidem ut transitus colicæ modò in paresin visus fuerit facilius, modò in epilepsiam, quod in urbe ante sexennium autumno observatum, cum virorum robustorum aliàs & sanissimorum multi sat citò è colicis graviter epileptici, etiam frequentes recidivas passi, non tamen fierent paretici, nec ex totidem quisquam obiret. Et ad ista tria deferri potest, quicquid in colicâ nostrate spasmodicâ graviorum observatur symptomatum: Ad magnitudinem quidem & pertinaciam torminum invicta alvi suppressio, ad epilepsiam gutta serena, ad paresin contractura, tabes, icterus, pruritus, raucedo, asthma, &c. Nec morem quem Pauli ætate hic morbus habuit adhuc deposuit; Ut n. novus non amplius sit, subindè tamen post quasdam inducias è carcere quasi dimissus grassari visus est, & licet sporadicus aliquando fuerit creditus, diu tamen jam est, quod epidemiorum quoque censui fuerit adnumeratus, imò cum nimis variè varios corripere, contagii suspicionem hinc inde movit. Ut non immeritò cum Plinio quis miretur, morbos alios desinere in nobis, alios durare. Exclamat autem Plinius: *Quid hoc esse dicamus, aut quas Deorum iras? Parum enim erant homini certa morborum genera, cum supra 300. essent, nisi etiam nova timerentur.* Meminit ibi Plinius colicam tanquam novam, quod Tiberii Cæsaris principatu irrepperit, quod nec quisquam prior Imperatore ipso senserit, magna civitatis ambage,

cum edicto ejus exeusantis valetudinem, legeret nomen incognitum. Quid & quale fuerit illud colum, novus ne re ipsa an nomine solum affectus, ex paucis istis verbis divinare non possumus: quid sit tamen *Biberius* ille *Mero*, uti conversum nomen ferunt, vini vitia luisse, & sensisset, quam deia accusabimus, vini noxam? Suffecisse videtur Aeginetæ ad id, ut morbum tanquam novum & insolitum citaret, talem in *Oribasio* suo & *Galeno* non extare, nec à veteribus fuisse satis declaratum, quamvis & in *Tralliano* levamen à frigidis occurrat. Non, quod homines istis temporibus nondum fuerint passi ventris tormina, sed non talia, nec forte colici doloris titulo insignita. Huc faciunt, quæ ex *Cornelio Celso* de *Ileo*, colico, & chordapso notat *Mercurialis*, & quæ de hoc ipso chordapso ex *Aræteo* adducit *Ge. Hier. Welschius. dec. 7. cur. 5.* istam chordæ relaxationem ad resolutos post ventris dolores artus applicans.

IV.

An diligens observator *Hippocrates* morbum talem in *Scriptis* suis nullibi annotaverit, à multis solet disquiri. Aeger ille *libr. sext. Epidem.* quia dolore intestini, cum artuum dolore corripere quietior fuit factus, passim exempli loco citatur. Apud *Schenckium. l. 5. p. 126. Gabucini* postquam ex *Hippocrate* & *Avicenna* subsecutos à dysenteria dolores artuum adduxisset, (quod ex *Laudati* modò *Welschij* curatione secundà ad *paresin* applicari potest.) quæ in difficultatibus intestinorum fiunt eliquationes, si non rectè purgentur, ad articulos transferri prætendens, pergit: *Est etiam ut ex coli potissimum dolore suborto articularis morbus, & podagra curentur: quemadmodum ex eodem perperam curato artuum plerumq; dolores suboriuntur; provocatq; ad dictum Hippocratis casum. Joh. Ant. van der Linden* in select. med. dissert. sept. doctâ analysi expeditum dedit *Volvulum Colicum*, cujus remedium ab *Hippocrate* commendatur vinum multum meracum, secundum rationem datum, donec somnis, aut crurum dolor fiat: Eaque occasione casum illum *libr. sext. epidem.* arthritici fuisse prætendit, cui dolor colicus supervenerit ex metastasi humoris morbifici ad intestinum, non verò colici, cui arthritidis ex simili causâ obtigerit, multo minus colici, cui dolor crurum eveniat ex felici curatione, quem ultimum ipse ex *libr. secund. epidem.* desumpsit pro diss. sept. themate. Nos qui Hippocraticam modò brevitate à suis difficultatibus expedire non præsumimus, & ad causam colicæ quâ novæ detegendam properamus, alium textum in iisdem epidemiorum libris paucis tangimus, fassi prius, & *paresin* ipsam non-

nonnunquam esse summè dolorificam, & mitigatam fuisse ex nostrâ quoque observatione colicam spasmodicam, cùm familiaris podagra tentare inciperet artus; quæ quidem ad generalem illum textum hippocraticum, nec dùm pro dignitate suâ resolutum: *Ex quibus qui morbi, spectant, de quo & infra.* Alter verò locus in *tertio epid. libro*, ubi post pestilentem constitutionem variarum quoque febrium mentio fit, & quæ ad ventrem attinebant, multis multa incommoda evenisse, ipsumque morbum multis eò decubuisse citra febrem & in febre dicitur, sic se habet: *Tormenta & volvuli maligni, multorum quæ inerant & suppressa erant, exitus, & excrementa dolorem non solventia; iis autem quæ offerebantur, difficulter obedientia.* Nam purgationes plurimos ladebant: ita autem habentium multi quidem acutè peribant, multi a. diutius vivebant. Equidem epilepsiæ & parescos non fit expressa mentio, citantur tamen talia quæ aliàs de colicâ nostrâ omninò verificantur. Primò quidem suppressio sæcum alvi & eludens purgantium vim constipationis pertinacia; primum fatum purgantium. Secundò, siquidem alvum moverint purgantia, læsio tamen inde potius, quàm levamen. Alter effectus non laudabilis. Solvitur enim alvus vel violentiâ purgantis, sic verò morbus, adhuc crudus, non solvitur, sed exasperatur, vel in declinatione sive sponte s. leviter stimulata, tum utique magno cum levamine reddit, quæ suppressa fuerant. Tertiò, morbi terminatio ad mortem acuta de epilepticis à Paulo verificata, apud nos vix nisi sub gravissimo malo vel perversè admodum tractato ægro, sequi solita; plerique enim vivunt diutius & chronicè vel paretici vel frequentibus recidivis divexati. Et talibus quidem indiciis constituisse videri posset Hippocrati, de prætenso hæctenus novo affectu colico, utut subobscurè, nec clarè satis pro dignitate rei vel gravitate morbi.

V.

Si novus ergò vel in tantum vel in totum affectus ille Colicus, in originem ipsius & causas inquirendum erit. Novitas autem morborum desumitur hæctenus ex capite non uno: Inter Endemios novus est Scorbutus, si non populis, quibus domestica labes est, tamen vicinis, cùm terminos suæ regionis transilit; aut novus tamen in scriptis medicorum, cujus etiam apud veteres vel nulla vel obscura sit mentio, & de quo disputant, an ad lienes magnos Hippocratis vel aliò referri possit: Ex hoc itaque capite Colica spasmodica habetur hæctenus à Quibusdam, Primò *Scorbutica*; Tum quòd ab eadem procreetur & fovea-

Scorbutus

sur sanguinis constitutione, scil. tartareâ, tum quod spurii ventris dolores colicam mentientes & artuum impotentia passim inter scorbuti symptomata recenseantur. Inter Epidemios magna præcipue observatur febrium cohors, easq; inter subinde aliquæ pro novis & insolitis venditantur: undè secundo Aliis Colica nostra creditur *Febrilis*, quod post febres sequi, & febrilem non raro typum servare soleat, uti passim notant practici, *Coiter*, *Oethaus*, *Gabelchoverus*, *Binningerus*, & præcipue urget *Car. Piso* de morb. infer. ventr. à proluv. seros. Huic autem subordinari posset Colica *Biliofa*, quod nomen quoque passim obtinet, quamvis nihil novi dicat; Ita enim *Laz. Riverius* C. 2. O. 98: *Paralyfim, in quam colica frequenter degenerat, à bile produci nemini dubium est*, & *Fernelius* dolores tales, quos æthos vocat, scil. cum flatulentâ pituitosâ colicâ non convenientes, eandem cum febre causam habere prætendit, Bilem, depulsam quidem è sede febris, visceribus & præcordiis, in peritonei & intestinorum membranas; eo argumento, quod & febris & sitis & inappetentia suborto dolore, hic autem vix nisi bilis vacuatione, mitescat. Novos porro & inusitados morbos à vitiis diætæ ortos collectis undique historiis firmare facile foret, nisi sufficeret in exemplum singularis illa nuperis annis observata vertiginosa temulentia, passim in viis & campo corripiciens quotquot lolum frugibus permixtum esitârunt: Accusant ergò alii ex hoc capite non tam cibum, quam potum pro causâ colicæ, quæ adeoque à plurimis tertio dicitur *Vinosa*. Cum verò vina vix alibi pejus audiant, quam ubi de colicâ spasmodicâ agitur, uno atque altero testimonio declarandum erit, cur & ob quale vitium fuerint diffamata. *Car. Piso* liberalem meri usum accusat, & in cœnobio solos religiosos presbyteros & sui juris, quique lautiore victu utebantur, doloribus istis obnoxios vixisse notat, cum adolescentes, quibus parvus aut nullus vini usus concessus erat, prorsus sani degerent: *Car. Raygerus* in not. ad *Spindl*. Obs. itidem vinum utpote suapte natura nervis inimicum, circa posonium valde contribuere ad hunc affectum, & inde morbum ibi frequentissimum fatetur, imprimis autem in superiore hungariâ, ubi præstantissima, sed certè minus salubria, imprimis pro advenis, crescant vina: *J. J. Wepferus* in ENC. laudat vina patriæ suæ rubella, contrâ, inquit, ubi vina alba bibuntur, quæ ut conserventur imbuenda sunt sulphure, nec aperto vase ut rubella defervescent, sed in doliis, osculo vix palmæ amplitudine patulo, undè sulphur vini narcoticum exhalare nequit, ac cum vino permixtum manet,

net, colica hæc frequentissima est; ubi quoque frequentiores observavit podagricos & nephriticos, plures item utriusque sexus, maxime sequioris, convulsionibus exagitatos vidit. Cum laudatâ hæc virorum trigâ Scriptores reliqui communiter in vina sulphurea, tartarea culpam quam maxime referendo conveniunt, ut non in solo quantitatis vitio sed qualitatis potius præcipuum momentum situm esse videatur. Denique supersunt venena, quorum per triplex naturæ regnum tantus numerus, varietas tanta, nullum finem morborum promittit, maxime cum nova subinde innotescant, & novæ in occulto præparationes seculum nostrum infament. Ne latius evagemur, unum ex animali regno exemplum producemus, venenum serpentum apud americanos, à quo *Mart. Listerius* novum illum morbum qui contagio suo orbem infecit, Luem veneream primum ortam suspicatur; alios novos & epidemicos morbos, variolas, petechias ex simili hypothese deducere præsumens. Verum non ex animali sed minerali regno venenum novo nostro affectui assignandum venit, detectum modò ultimis annis, unde colica hæcenus spasmodica jam quartò innotescit *Plumbea*. Subordinatur hæc quarta certæ, & pro causâ novâ eaque gravissimâ proponitur vinum, Lithargyro adulteratum, quo dulci veneno inescati plurimi periére aut vitam traxére miserè.

Venena

Veneream

Plumbea

VI.

Condire quidem vina, idque variè, vetus mos est: Ex *Plinio* *Sachsio* in *Ampelogr.* condimenta citat gypsum, calcem, argillam, marmor, sal, resinam; in *Dioscoride* etiam talia vina picata, resinata, gypso condita, quibus admista sapa &c. occurrunt, unâ cum pluribus medicatis, qualium ut dulcium & utilem potionem ex vino adjectis aromatis confectorum non minus *Aegineta* libro septimo meminit, & de quibus in universum rectè pronunciat *Dioscorides*, hæc factitia vina sibi misturarum vires adsciscere, ut difficile non sit iis, qui illarum naturam norint, vinorum quoque vires conjecturâ quâdam assequi. Sed de talibus condimentis hic agere animus non est; Transeant itaque etiam secreta *Weckeri* pro vinis variè conservandis & corrigendis, nec hujus loci sunt album sinapi nec suave basilicum, quamvis illud dulcedinem, hoc muscatellinam gratiam vino conciliet; hominum illis relinquatur, qui caput turbant. Nec illam dulcedinem hic increpamus, quam passulis & saccharo inducunt; præstant vina, quæ tali artificio non indigent, quæ mæra sunt & nativâ gaudent gratiâ. Qui tamen & has pias frau-

des agnoscere amat, imò qui discere egregiam pro vino tenui meliorando Tincturam, consulat *Bauxmannum & Clauderum* in Ephemeridibus Naturæ Curiosorum; discet ibi vina quæcunq; æmulari, & mirabitur dexteritatem artificum, qui ex partibus æqualibus sacchari & aquæ vinum generosissimum, ex parte illius una ad duas hujus hispanicum, & ad octo hujus argenteoratense promittunt, cum pluribus scitu dignis, curiosis & utilibus. Misso etiam Spiritu vini, non quòd ignoremus eum universale hodiè vinorum esse condimentum, & tantundem musto affundi, quantum è doliis sæces per distillationem præbuerant, sed quia hujus loci non est, potius occasione sulphuris, id enim passim quoque vapulat, de telis sulphuratis nullatenus prætermittendum est, quod à cautis scriptoribus annotatum legimus; Sc. admisceri sulphuri & aromatibus, quibusdam in locis, Bismuthum, talemque hinc taniam vocari dulcem. Hoc autem telarum sulphuratarum ingrediens damnavit jam olim ante *Sachsum & Wepferum*, noxiumq; declaravit Præsidis *B. Proavus* in memor. medic. ratus vi sulphuris accensi fumos è bismutho arsenicales excitari & vino communicari. *Fors.* inquit, *inventor ejus putavit, facere ad defacandum vinum. sicut videmus fieri musto, in stanneis vasis servato, vel etiam stanno eodem liquato, & in doliis coniecto. Nescio enim quam vim defacatoriam habeat stannum.* *Ferr.* autem *Imperatus* in Hist. Nat. de bismutho ita: *Stannatio illius colorem conservat vino, quocirca & ipsis vasis inducitur stanneis.*

VII.

Verùm non ob solum Bismuthum colica audit plumbea, quamvis ad plumbum referri soleat, aut medium inter stannum & plumbum metallum dicatur, sed quàm maximè ob Lithargyrum, pessimum vini condimentum, quippe quod nihil aliud est quàm plumbum, ignis vi, dum aurum & argentum à metallis liberatur ignobilioribus, aut cum Chymicorum Sol & Luna in minerali balneo sordes exuunt, & eorundem Saturnus filios suos devorat, ita transmutatum, unde à *Scbrôdero* inter recrementa metallica artificialia relatum fuit. Modum parandi videbis apud *Matthiolum* in Diosc. Non mutat autem tum Saturnus naturam, uti nomen mutat & formam externam, cum jam lithargyrus audit, sed plumbum manet, non minus quàm dum ab igne calcinatur in rubens Minium, aut acido vapore arroditur in Cerussam, vel denique acidis mensuris in minima discerpitur. Latet sub tot schematibus plumbum, non verò destruitur, & in pristinum metallum non difficulter reducitur.

tur ; Insuper quidem linguae testimonio , nec palato blandiens , tam ut metallum , quam cum cerussa , minium , lithargyrus audit , sed mirum ! singularem ex se largitur dulcedinem , cum acidis solvitur . Citatus *Martholus* plumbeas olim campanas in destillatione aquarum adhibitas fuisse notat , tanquam præ aliis aptiores , cum nullius metalli beneficio tantum aquæ obtineatur , sed postmodum hoc non obstante omittas dicit , graviori de causâ , quia noxiam ibi visceribus dulcedinem aquæ contrahant . Sed quid opus est testimoniis ? cum à dulcedine ista nomen habeat Saccharum Saturni , singulare illud Virriolum , nihil tamen aliud , quam plumbum in aceto solutum & crystallisatum , novas adeo & ab ingredientibus benè diversas exhibens qualitates . Notum aliàs est circa acetum phænomenon , quod ab injectis canetorum lapillis , uti & à cretâ , fiat dulce , sive deposito acore mutescat . Ductus curiositate temperatum ita acetum microscopii accuratioris ope examinavit *Anton. Leuwenhoek* , & deprehendit salinas particulas acutas & exiguas , quas in aceto prius copiosas natate conspexerat , & à quibus acidum saporem deduxerat , ab injectis lapillis planè mutatas aliam induisse figuram , adamantibus angulosis & politis jam comparandas , quas prius textorum radiolis assimilaverat . Uti ergo dulcedinem aliàs adscribit mollioribus flexidioribusque particulis , ita mutationem aceti deducit ex eo , quod majores jam crystalli linguam non amplius pungant , nec illum motum imprimant , quem saporem acidum vocamus . *Listernus l.c.* de hydr. ab hac experientiâ arguit eos , qui falsò hætenus crediderint , salina corpuscula pulveribus testaceis absorberi vel misceri , cum tamen seorsum & inter se crystallos majusculas & paucas fingant ; mutationem quoque saporis ab iisdem corpusculis deducit , quæ non amplius totidem stimulis linguam feriant , sed jam ob crassitiem & paucitatem vix gustum leviter afficiant , in ventriculo autem reviviscant . Qualem figuram ab accessu plumbi salinæ induant particulae , lynceis determinandum relinquimus oculis ; interim ratio nihil in istâ observatione obstare putat , quò minus & misceri plumbeæ cum salinis , & utraque in crystallis , quemadmodum aliàs in omni vitriolo , anquam sale metallico , contingit , uniri dicantur . Cæterum quas *Leuwenhoek* majores aut simpliciter flexiles pro dulcedine requirit particulas , eas *Greydanus* vult jungi quibusdam rigidis & mediocriter acutis , ut blandâ contrarietate linguam afficiant ; quod non malè forsan huc quadrat . Quantum cum in mutandis saporibus valeant salinæ particulae aliis va-

riè commixtæ, id hoc ipso exemplo unius ejusdemque salis cum argento amari, cum plumbo dulcis, declaravit *Rob. Boyle*, Tr. de Orig. Form. & Qual. Istam verò particularum dispositionem speciatim & sigillatim ut in alio quovis, ita & in hoc casu præcisè & infallibiliter quis determinabit, fatente impossibilitatem *Job. Chr. Sturmio*, in Phys. El. gener. cap. 6.

VIII.

plumbea
Et hæc dulcedo Saturni fundamentum est adulterationis, quam accusamus ut principium colicæ vinoso-plumbeæ, cum in hunc finem lithargyrifata fuerint vina, ut deposita acidâ asperitate ad tempus mitescerent, & temperata se suâ commendarent dulcedine. Hæc enim fuit occasio fraudis; vinum præteritis annis ob uvas immaturas & frigore læsas generosâ suâ dulcedine destitutum, cum montes nativum lachrymarentur acetum, quod hæc saturni ope emendatur, sed apparenter, reverà in perniciem bibentium, corrumpitur. Præstaret ædocere modum, quàm prolixè describere, sed quis occultabit aut supprimeat, quod Hippis & tensoribus innotuit. Duplex ergò modus est, vel crudior & simplicior, quo nonnulli pessimo consilio fuerunt usi, ipsum lithargyrum in substantiâ vino injicientes, vel magis artificiosus, non tamen laudabilis, quo maximè arcano usi fuere, qui è lithargyro beneficio aceti vinique generosi extraxerunt Tincturam, quam ab *Eberh. Gockelio* in lucem protractam sistit *ENC.* tomus ultimus, quâ sanè, tanquam in parca etiam dosi efficaci, nihil ad conciliandam vinis gratiam foret præstantius, si absque noxâ bibi posset. Verùm hoc ipsum est dulce illud venenum, quod multos passim decepit, & deceptos gravi ad eò Colicâ epileptico-pareticâ corripuit, ut non aliàs vehementiori gradu sævisse fuerit annotata. Exempla sunt odiosa, & loco citato descripta, & passim nota. Venenum autem dum accusamus, non injuri erimus in plumbum: Retulit enim omnis vetustas in censum venenorum, non minus quàm astrologi Saturnum infaustum Planetam putant; In admixtum arsenicum nonnulli culpam referre voluerunt, sed sufficere plumbum probant seqq. *Aegineta* sanè libro quinto de venenis agens hos effectus recenset: *Argenti Spuma pota, quam Græci lithargyron dicunt, gravitatem stomachi, ventris & intestinorum cum torminibus validis infert nonnunquam & intestina pondere vulnerat, disrumpitq, urinam impedit, corpus eorum qui eam biberunt, intumescit; & coloris plumbei sunt: & deformitas circa faciem deprehenditur.* Plumbi autem scobs aut lotur

pota, similia invehit argenti summa pericula. Quæ quidem ipsissima videntur *Dioscoridis* verba, quibus *Matthiolus* ex *Aetio* & *Avicenna* addit sequentia: *Compaginum & articularum incendium seu ardor; alvi suppressio, quamvis quandoq; ex accidenti alvus dejiciatur: sermo item præpeditur, & sedis intestinum prominet, postremo invalescente malo agri suffocati moriuntur.* Confirmantur ista passim à Recentioribus & historiis comprobantur, talemque in specie à plumbi pulvere in jusculis sacchari loco usurpati cum gravissimis subsecutis symptomatibus recenset *Jul. Palmarius* inter libros de morbis contagiosis tertio, capite quinto. Videri posset omissa Parexis, sed non est: Nam 1. compaginum & articularum incendium seu ardor explicari debet vel per ipsam parexin, quam non semper indolentem, sed nonnunquam cum acerbis doloribus conjunctam esse supra monuimus, vel per molestum pruritum, parieticis familiarem. Ubi omnino notandum, verba *Nicandri Colophonii*, Poetæ & medici antiquissimi, & à quo sua plures mutuati videntur, ἀμφὶ δὲ γῶναι πῖπτεγον, à *Joh. Gorrao* ita verti: *Tumor undiq; corpus Occupat*; Sed rectius fortè à *Matthiolo*: *membra totius passim corporis ardent.* 2. Idem *Nicander* & *Dioscorides* à Cerussâ observant torporem membrorum & frigus, præ quo nec manus pedesvé officium suum faciant. 3. Paralyxin ab immodico sacchari Saturni usu inductam suis firman observationibus *Joh. Rhodius* & *Petr. Borellus*, C. 4. O. 32. uti colicam nuperrimè *Riedlinus* in lineis medicis, exemplo virginis, à magnâ ejusdem quantitate ex maniâ in tanta tormina incidentis, ut clamore & ejulatu totam domum compleverit, pinguisque aliàs & obesa tota ferme consumpta fuerit. Et hanc vim deleteriam ad canes quoque, anatomicorum martyres, se extendere, firmat experientia tam *Bruneri* in E.N.C., quàm nostra. Quibus quidem omnibus supplemento loco addimus testimonium figulorum & metallurgorum, quos Colica epileptico parietica gravissimè vexare solet, illos quidem ob lithargyrum, quo ad incrustandas ollas utuntur, hos autem non minus ob hausta effluvia plumbea, sed modo multiplici, quem cum post *Stockhusium Henn. Joann. Siemens* in disp. de Metallurg. morbis. sub Præs. *Fr. Hoffmanni* exposuerit, huc transferre non piget: Notat enim omnes operarios, qui vel in fodinis plumbarium metallicum lapidem pulvere pyrio separant, extra fodinas illum urunt & liquefaciunt, & qui fornacibus separatricibus præsent, vel magis adhuc illos, qui lithargyrium ponderant (ob copiosum ejus fumum & pollinem halitu exceptum) morbum

quendam spasmodicum pati, tormina scil. summè convulsiva cum alvi pertinacissimâ obstructione, qui morbus germanicè indigitatur die hütten Raß; quod intolerabilis ille intestinorum cruciatus, agrotantem nonnunquam rabiose felis circumgyrationem imitari cogat: Illis hominibus aliquando nec standi nec sedendi datur potestas, inquieti huc atq; illuc moventur, lecto si aliquantum incubuerint, terram vicissim repetunt, ungibus eam rodunt, & immanes ventris dolores patiuntur, cum sudore nonnunquam frigido & lipothymia. Complicatur hisce statim vehementissima alvi constipatio, ita ut nihil flatuum nedum excrementorum per anum exitum habeat. Purgantia omnia irritò effectu propinantur, & malum saepius exasperant: superveniunt cardialgia synoptica, vomitus, febres lentæ cum siti, urina suppressiones, tandem si morbus diu duraverit, accedunt etiam convulsiones muscularum, contracturae, item paralyseis partium externarum, crurum & manuum. Hucusque testis idoneus, scil. de morbo suo patriæ. Vix ovum autem ovo est similis, quàm similis hæc metallurgorum colica nostræ plumbeo-vinosa, & utraque colica dictæ spasmodicæ.

IX.

Duo hîc obstat nobis videntur, quò minus progredi liceat. Primum quidem usus medicamentorum Saturninorum internus, passim scopo edulcorandi commendatus, ne de externo, egregio atque & multiplici, quid dicatur; e. gr. *Mynsichti* species diaphurni, quas alii cum magisterio, alii cum sale parant, ab Autore pro more suo non possunt satis laudari: Tinctura antiphthifica non minores practicum laudes meruit: Antipestiferum ex Saturno *Hoffmannum* Schröderi commentatorem cum auro fulminante & cinabari antimonii in desperatissimis rarenter deseruit; & quæ sunt plura è Saturno arte chymica pro usu interno paratorum honorifica prædicata. Nos uti facile concedimus, talia saturnina parè, non diu, & cum aliis corrigentibus usurpata sensibilibus non lædere, ita etiam in certo casu, ubi siccandum & occludendum, convenire fortè non diffitemur: Si verò chymici modos calleant & menstrua possideant, quibus omnem istam noxam, quam experientia hætenus firmat, declinare possint, non invidemus; Quò fortius enim acidam & quo subtilius saturninum, cò securius & gratius comparari saccharum notat in ENC. *Joh. Franc. Vicarius*, id autem solutione lithargyri, crudissimi inter saturnina, nunquam obtineri, utpote quæ semper sub dulcedine aciditatem austeram ritè gustanti præferat. Interim pi-

scator ictus sapiat, nec sub prætextu conciliandæ humoribus dulcedinis dulci veneno decipi se patiatur. Agnovere autem hunc usum internum minus tutum non pauci ex ipsis Chymicis: *Christ. Marggravium* Chymicum Germanum apud Batavos discipulis suis aliquoties usu interno Saturni & omnium ex eo paratorum interdixisse meminit *Præses. Ge. Wolf. Wedelius* in *Amœn. Mat. Med.* pro ingenuitate suâ fatetur, à saturninis, utut vel in ipsâ hecticâ quàm maximè commendentur, ventericulum noxam sentire. Planè verò singularis est ratio *Fr. Jos. Burrbii*, quam dedit in *Hippocr. Chymico*, cur non internis sed extimis cutis vitiiis emendandis spuma Saturni fuerit dedicata; *Fortasse*, inquit, quia *Saturnus plumbi sator à firmamento est prima stella qua ceteras inferiores complectitur, eodem modo, quo carnes & viscera nostra à frigida epidermide ambiuntur; vel quia plumbi ablutione tam auri quàm argenti extrema atomorum superficies ab omni inquinamento purgantur.* Sed removendum etiam erit alterum obstaculum, quod ponunt, qui prætendunt, non omnes fuisse læsos, quotquot *Lithargyrisata* vina biberant: Hic equidem experientia ne fallax sit accuratè examinari deberet, interim tria respondemus: Ante omnia quidem nulli dubitamus, à tali causâ hætenus incognitâ varios subinde affectus fuisse productos, qui revera plumbei, longè aliis, sed falsò, adscripti fuere causis. Dein robur naturæ pinguisque diæta superare potuit noxam & avertere, uti quidem operarii contra noxios fumos butyro & oleo se probè munire jubentur in *Jud. diff. de met. morb.* Tandem recurrit prior responsio, quò delicatior est tinctura, quò dosis ejus minor, usus parcior, & infrequentior, eò minorem quoque inductam fore noxam.

X.

In lucem itaque protracta Colicæ Epileptico-Pareticæ causa plumbea phænomenis ab *Aegineta* suppeditatis applicari modò debet. Ubi quidem fatemur tum ab *Aegineta* tum *Dioscoride* potæ spumæ argenti fieri mentionem, sed non addi, in quo vehiculo; nec ex veterum scriptis clara satis nobis suppetere indicia, unde vel artem istam corrumpendi vina illorum ætate publicè notam, vel virtutem lithargyri talem aceto dulcedinem conciliandi in usum œconomicum conversam fuisse certò determinari possit. Sufficit, notum fuisse Lithargyrum & facile parabilem, toties cum aceto oleoq; coctum in emplastra, utus in virtute hac & usu speciali publico non innotuerit: Etiam Tinctura hæc hoc lustro demum publicata, jam sub principium sæculi à *Gal-*

lo: quodam magno pretio fuit vendita, prout in MScr. invenit Præses. Scilicet occultari talia arcana solent tam lucri amore, quam fraudis malignæ conscientia. Liceat igitur vel tandem inferre, Colicam Aeginetæ & nostris temporibus observatam uti hætenus in signis, ita nunc quoque convenire in causâ: Bibisse utrinque Colicos ex infecto fonte, & eodem dulci veneno inescatos periisse. Id utique certum est, ex hoc principio facilem reddi rationem phænomenorum omnium in colica Aeginetæ & nostrâ spasmodicâ observatorum: Novus fuit morbus cum primum plumbo vina adulterari inciperent, prius nunquam observatus; Novus iterum priori seculo, cum germaniæ quoque nostræ vina corrumperebantur; Imò novus toties, quoties acida vina temperari postulabant. Multis porro communis fuit utraque colica, & brevi tempore longè lateque distributa, quò usque scil. vel distracta & dividita fuerant vina, vel modus condiendi vina pervenit. Sic non opus est vitium aliquod accusare endemium aut epidemicum, non etiam opus videtur contagio, cessaret etiam suspicio fascini, quod apud *Pisonem*, aut maleficii occulti, quòd apud *Wepferum* religiosi accusarunt. Periodicum autem fuit malum, & ad recidivas facile, quò usq; sc. non destiterunt ægri à potu vini lithargyrifati, sed post superatum paroxysmum ad ejusdem vini usum aliquandiu intermissum alacriores avidè redierunt, aut aliâ causâ latens tantisper venenum denuò excitavit.

XL

Ista meditantibus ultrò subnascitur quæstio: An post detectam hanc novam causam exclusis reliquis huic soli consistendum, ut colica spasmodica non amplius à scorbutico, bile, febre, vino, &c. sed omnis in posterum à plumbo sit deducenda & denominanda? Sub colicâ quidem intelligendo non quævis tormina, sed illam præcisè, quam novam proposuit Aegineta, & quam ab aliis distinguit superveniens epilepsia & paresis. De tali quæri debet: *An omnis sit plumbea?* Cum enim hætenus à plumbo tam crudo quàm præparato, in fumo, infuso, & substantiâ exhibito, similini effectus fuerint observati, utique quod omni & semper competit, etiam suspicionem movet, annon soli tribuendum sit. Non probabile est nasci in corpore venenum, quod cum plumbo paria præbet: Sed tale si posset, debuisset sanè omni tempore in paresin terminari colica, nec unquam novus credi morbus. Qui reliquis infimi ventris etiam exquisitissimis doloribus & summis, quique vel stoicam fatigare possint apathiam, parturientium, nephriticorum, quorum ta-

men dolores extremos esse & partus cruciatum superare apud *Cardanum* & *Pisonem* fatentur foeminae, paresin istam non supervenire, (stupor enim cruris nondum paresin facit.) sed soli colicae, eique & tam frequenter & facile, perpendit, in suspitione singularis veneni confirmatur. Negari tamen nequit, non defuisse hactenus in historiis colicorum alias causas satis evidentes & probabiles pro tanto malo: qualia & nobis nota sunt exempla relictæ talis colicae ab hypercatharsi, à coryza habituali acerrimâ post terrorem, recidivis ordinariè cum coryza incipientibus, uti & à dysenteria intempestivè suppressâ quid paretici notavit *Welschius* l. c. ut ægrè omninò plumbum ad tantam latitudinem, ac se colica hæc extendit, diduci posse videatur. Verum enimverò, tandem contra plumbum ab observatis retrò non argumentamur validè satis, quamdiu non prorsus excluditur omnis suspicio latentis veneni plumbei, de quo notum est, neminem tum cogitasse. Quemadmodum igitur expectandum erit, an detectâ & prohibitâ causâ finis sit futurus colicae pareticae, nec ne, ita si ubi se denuò prodiderit, in omnes circumstantias accuratè inquirere operæ pretium erit, ne per fallaciam vel plumbo tribuamus, quod vino, feбри, icorbutò competit, vel vicissim. Interim manet scrupulus, & talis utique colica, gravior præcipuè & popularis, in posterum nullo non tempore suspicionem movebit de occulto duci veneno, vel simili, nondum fortè notâ, noxâ. Ubi pro diversitate ipsius causæ, sc. tæniarum dulcium, bismuthi, lithargyri, (qui suas quoque habet differentias,) &c. non minus quàm pro varietate subjecti patientis, credibile omninò, varium fore ipsum affectum, & prout tale plumbum incidit vel in sanum vel ægrum, robustum vel debilem, scorbuticum, hypochondriacum, nephriticum, febricitantem, &c. prout largiori dosi & diutius haustum fuit venenum, symptomata quoque fore vel leviora vel graviora, & pro conditione conjunctæ dispositionis morbosæ subindè diversa & singularia. Occasione autem hujus colicae notamus, sedulum aliàs observatorem *Sydenhamum* in suis scriptis duplicem proponere colicam, biliosam illam & hysterica, sed neutram, ut pareticam: Hystericas quidem tandem spasinis è medio tolli obiter notat, sed morem colicae nostræ non attingit. Agnoscit biliosam supervenisse dysenteria, orsam fuisse à febre, sed mox addit facile in iliacam transiisse, quod inter nos hactenus observatum non meminimus. Conteraneus ipsius *Mortonus* febres, quas optimè declaravit proteiformes, colicam quoque & horrendam & periodicam simulasse notat, sed de pa-

C

refi

res pariter filer. Scorbaticam porrò colicam parcius attingimus, quòd hic loci sit rarior, felicius verò difficultates occurrentes solvi possint, ubi domestica est. Cùm verò *Wilb. ten Rhine* d. Arthrit. mentionem faciat doloris colici vehementissimi, qui per asiam passim horrendum in modum sæviat, ægrosque infandis cruciatibus sæpe necet, vel saltem paralysis in manibus pedibusque post se multoties relinquat, quid dicemus? An & asiam infecit Saturnus? XII.

Priorem quæstionem excipit altera: An post detectam causam plumbeam facilius jam reddi possit ratio phænomeni, cur & quomodo colica, præsertim diuturna & periodica, transeat in epilepsiam & paresin? Quod ceu criticam ex alto subortam transmutationem cum Paulo comr. mirantur practici, sc. ut tantisper seponamus epilepsiam, resolvi vel & contrahi partim artus, modò sensus modò subito, nonnunq. indolenter aliàs verò cum magnis, arthritidem & ob motum in brachio conspiciunt. *Nakir arabum* (de quo peculiari dissertatione egit *Georg. Franck.*) æmulantibus doloribus, non sine rarioribus subinde phænomenis, ut alternarent e. g. ex observatione nostrâ in colico brachiorum resolutio & pedum dolor, aliàs autem recidivus pedum dolor absque torminibus, cum alvi verò constipatione paresin intenderet &c. ex causâ quidem hætenus creditâ non unâ, sub miro Autorum dissensu, dum malè audiunt tam intempestivè exhibita purgantia, quàm sudorifera, item balnea & non intermissus vini potus, &c. Equidem symptomatum infirmi ventris non æquè difficilis videtur ratio; Alium quippe modum agendi concipere non licet, quàm qualem lingua statim percipit, & corporis superficies sentit à præparatis plumbeis. De siccitate autem validè contractiva testatur utraque, adeò ut ex hoc capite lithargyrus referatur inter sarcotica & epulotica, qualia tenuè serû absumere & coagulare in pelliculam, contrahere cutem, constringere, densare, siccare, & qs. in callum indurare scribunt. Imbibunt ergò etiam ventriculus & intestina tincturam plumbeam, & ab hærentibus molestè metallicis particulis constringuntur, quas natura (archeus, spiritus, anima s. quodcunque illud principium, quod quid sit disputant, interim causarum morbificarum impetum excipit & reagit) subigere non valens, varia tamen pro exclusione heterogenei tentat, & sub hoc molimine non parvas excitat turbas: Nec n. vel bilis vel acidum in colicâ plumbeâ primariò peccat, nec in plexibus solum mesenterii extra intestina, sed in ipsorum substantiâ primò & intimè hæret causa. Istum modum & *Wedelius* loco cita-

o agnovit, & *Welschius* ex *Pravotio* adduxit, colicam sc. à venenis fiantibus & adstringentibus, gypso & lithargyrio, ob subsidentiam & contactum laterum intestinalium ab immodicâ exsiccatione; Quo p[ro]p[ter] quidquid tam ab intestinis ad sanguinem, quàm ex hoc ad illa tenet, in suo motu non potest non impediri, sisti facum excretio, motus peristalticus fieri magnâ cum molestiâ. Verùm videtur quæri non tam de torminibus, quàm de paresi, *an clarius post detectum plumbum possit explicari?* Unus quidem atque alter inter hæc assignatos modos non videtur huc quadrare: Non ille, qui à cerebro tanquam castello secum primò ad plexus mesenterii deinde ad artuum nervos delabi, nec alter, qui è sanguine tanquam communi oceano potissimam heterogenei partem in ventrem, reliquam in artus deponi, præcedit; Non enim à cerebro aut sanguine ad intestina, sed ex intestinis ad reliquum corpus venit plumbum, siquidem primas vias transcendit. Sed suppetunt plures modi, quos inter difficilis omninò selectus: Velenim plumbum, dum ventrem singulari illo & inusitato modo siccat & contrahit, artus quoque convellit aut resolvit, ob nervorum compassionem & consensum, turbationem motûs spirituum & sanguinis, detentionem tot heterogeneorum &c. Vel plumbeæ molecule in sanguinem & cum ipso per totum corpus vectæ deponuntur aut in nervos aut in musculos artuum. Non videtur autem plumbum frigidum & grave, semel ab intestinis imbibitum, satis aptum ad subitas translationes. Ad id sanè, ut epilepsiam inducat, primas vias superare necessum non habet, quam toties à vitio illarum ortam praxis confirmat, non ob inquinatum modò sanguinem, aut immissa solum hinc ad nervorum principia morbosa effluvia, sed & ob irritationem & molestiam, sub quâ huic parti reliquum compatitur corpus. Ad talem consensum in hoc quoque casu confugit *Helmontius*, venenum aliquod in ventre sibi concipiens, ad cuius præsentiam rectores membrorum, qui objecta tenentur notare & discernere, ob terrorem contrahant partes sensitivas, porosque occludant. Nec abludit *Paracelsus*, utut *Helmontio* vapulet, quòd flatus ab intestinis ad artus deduxerit, quippe qui apud *Erastum* prætendit, vitæ spiritum in ventrem ad colores accurrere, & sic membra deferere; redire autem post solutos colores venenositatem ibi tinctum, interdum quoque colici humoris parte comitatum, suumque inspicere hospitium. Cum verò vix prohiberi posse videatur, quò minus aliquando plumbeæ molecule, quæ per filtra quoque cum menstribus transeunt, citius etiam tardiusve, plus minusve, in

sanguinem transeant, sic utique quocunque delatæ malum aggravabunt, & non minus in nervis quam musculis considerandæ erunt ut flocantes, occludentes, infarciētes, perpetuus obex naturæ, per minimos tubulos sua fluida deducere allaborantis. Urinas sanè operatorum colicâ laborantium incoctas, præviâ decenti tractatione & fusione, præbere quantitatem veri plumbi testatur *Fr. Hoffmannus l.c.*

XII.

Sequitur tertium Colicæ prædicatum, quod Aegineta suppeditat, mirabundus eam curatam fuisse frigidis. Ubi ante omnia, producenda erit annotatio *Ant. van der Linden*, qui l.c. diff. sept. verba Pauli de Medico Italo sic interpretatur: *adhibens dietam supra fidem refrigerantem & mira præstantem*, cum *Andernacus* eam infidelē & maxime temerariam dixerit. Τὸ ἄπιστον enim Huic est infidum, suspectum, sed Illi novum, inopinatum, incredibile; nec malè, cum hac ratione plurimi fuerint curati κατὰ τὸ παράδοξον, contra opinionem eorum, qui omnem fortè colicam à pituitâ frigidâ oriri & calidis oppugnari debere censuerunt. Constitit autem diæta illa refrigerans in sequentibus: *Lactucas enim non coctas refrigeratasq; ipsis porrigebat, intybumq; similiter supra satietatem comedendum. Item uvæ, poma, pisces dura carne præditos, omniaq; crustacea, quæ vocant græcè ὀσπράκιον, pedes bubulos, bulbos & similia, non solum virtute sed & tactu frigida; vinum rarò præbebat, idq; frigidâ temperatum, ipsamq; frigidam, vel etiam posteam frigidam exhibebat, ab omni alio calido & mediocri cibo abstinens. Atq; plurimos sic præter omnium opinionem persanavit, imò nonnullos qui jam in morbum comitalem vel resolutionem prolapsi erant, propemodum sanitati restituit.* Hæc de Italo Paulus, qui Ipse sanè, præterquam quod actu frigida omittat, non alia acribus & rodentibus succis ibidem opponit, unum atque alterum addens ex proprio. Nostri hac vice instituti ratio non patitur plenam colicæ curationem tradere, (consul. biga dissertationum à Præsidis B. Parente quondam habitatum de Spasmo intestinorum & Colicâ Spasmodicâ post pleuritidem.) delibabimus modò præcipua, Autorem nostrum secuti. Notamus autem in genere statim, talia hæcenus in colicâ spasmodicâ fuisse proficua, qualia omnino & contra plumbum valeant; Atque adeò, quamvis liberalitatem illius medici in exhibendis crudis & frigidis nemo temerè & promiscuè imitari audeat, victum tamen humectantem & refrigerantem convenire utrinque. Qui

Qui novam priori seculo colicam ex Paulo eruerunt, paradoxæ quoque istius curationis nullo modo fuerunt obliti, damnatis calidis acribus frigida in usum vocantes, in specie apud Schenckium *Cass. Wolphius & Oethans*, qui uvas etiam & pruna recentia casu profuisse observavit.

XIII.

Aliàs in pathologia Recentiorum non calidum est nec frigidum, quod lædit, sed amarum, acidum, & sexcenta illa Hippocratica, nec in thesauriâ nuda illa qualitatum biga sufficit, quin potius in speciali hoc affectu quæritur, quid Saturnum enervet, educat, noxam illatam emendet, turbas subortas sedet, retenta dimittat, &c. quale jam olim *Wepferus* unicè optavit specificum antepilepticum, quo maturè solvi possis constrictio: Interim tamen pleraque frigidorum illorum secundum hunc agendi modum commodè explicari posse, patebit, si quidem præcipua sigillatim consideraverimus. Vinum ante omnia rarò præbebat Italus ille medicus, idque frigidâ temperatum, & Aegineta abstinere jubet vini potione, potissimum veteris. Superfluum hîc videtur afferre testimonia nostratum, vina communiter prohibentium, sufficit allegare *Riverium*, qui C. 4. O. 49. viri meminit per multos annos colico dolore vexati, cui nullum aliud remedium repertum, præter hydroposiam, in quâ quândiu perseverârat, prorsus incolumis permansit; quoties verò ad vini usum redire voluerat, intra biduum eodem affectu correptus fuit. Qualem utique hydropotam nostra etiam aliâ vicinia. Haustum aquæ colicam biliosam sopire, venturam intercipere *Henr. Meibomio* sæpius observatum, diff. d. aq. cal. potu; confer. tamen O. 18. C. 4. *Binningeri*. Cæterum probè hic distinguendum erit, inter vina adulterata & sincera: Quàm certum est lithargyrisata longè exulare debere apud omnes qui à colicâ liberari, & à recidivis præservari volunt, quî enim cessabit effectus, jugiter agente causâ, tam dubium videtur de reliquis non conditis, non corruptis, an prohiberi adeò severe possint innoxia, plumbeæque tincturæ expertia. Aegineta & Dioscorides antidota lithargyri in vino sumi jubent, imò hic vinum liberalius potum commendat contra assumptam cicutam, spumam argenti, & cætera venena, quæ refrigerando nocent, aut stomachum in vomitiones effundunt: *Platerus* haustum ex oleo amygdalarum vino malvatico & syrupo de papavere commendat, quod etiam cum spermate cæti secretum dicitur *Eratonis*. Facile concipimus, aliam esse rationem talium generosorum & dulcium, præsertim modicè usur-

patorum quàm vinorum nostratium, cautè tamen vitari debet, quidquid vel latens plumbum denuò excitare, vel intimius per corpus deducere, vel tentare acrius possit afflicto jam dum nervos, quæ omnia cadunt in vinum, quod etiam ob tam occultas & multiplices fraudes non potest non manere suspectum. Non prætermittendi sunt hæc occasione modi, quibus detegi fraudes & agnosci lithargyrisata vina possint, in ENC publicati; Beneficio sc. instillationis tam acidi fortissimi, olei vitrioli, quàm lixivii, spiritus urinæ, olei tartari, unde turbantur & planè immutantur, uti aliàs lithargyrisatum acetum cum solutione aluminis præbet lac virginis, aut ab alcali præcipitatur in magisterium. Non solam verò aquam vino substituit Italus, sed & poscam, quam oxycraton græci vocant, compositionem ex aqua & aceto, de quo alias Dioscorides: *Calidum potum, atque vomitionibus redditum, adversus omnia venena efficax est*; & ex eo anserinum stercus contra coli cruciatum bibi jubet. An sperandum, ita plumbeas partes imbibiri posse & educi, an potius præcipitantibus in magisterium alcalicis utendum? Experimentum in colicâ nostrâ factum non novimus, aliorum verò periculis discere, vetat Plinius. Quidquid sit, habemus acidulas, quas passim præctici in mediis doloribus non solum concedunt, sed & commendant. *Raygero* sanè l. c. omnem paginam absolvunt acidulæ; *Roitschen*ses, tanquam divinum remedium etiam quocunque anni tempore feliciter usurpandum, laudantur à *Marc. Gerbezio* in ENC. D. ., A. 1. Nihil exteris cedunt *Deinacenses*, *Tubingæ* notiores, toties salutares deprehensæ, ad superandas etiam reliquias proficue.

XIV.

Reliqua diæta humidior & frigidior, unà cum pinguibus, oleosis, mucilaginosis, gelatinosis, qualia per os assumi & per clysterem injici *Paulus* jubet, videtur quidem procedere ex intentione mitigandi humorum acrimoniam, sed non invita se patitur transferri ad colicam plumbeam. Id firmat & ratio, quæ siccitati nil melius opponere novit, & experientia, quæ recens exemplum suppeditat in cit. lin. med. *Riedlini*, ubi mucilago seminum cydoniorum laudatur in casu virginis à saccharo Saturni post maniam colicæ; Equidem *Jonstonus* jam in Id. Med. plumbo grana cydoniorum cum vino dulci opposuit, sed quod miramur excorticata. Huc spectat lac asini, quo apud *Palmar.* & *Fernel.* curata fuit colica plumbea, huc terebinthina, quam oleo amygdalarum subjungit *Erastus*, item curatio colicorum per adipes, cujus ipse

ose meminit, & evaporiston *Joh. Franci* in ENC. D. 3. A. 3. decoctum
 c. capitis vervecis aut pedum vituli cum semine anisi. Nec aliis quàm
 libus lubricantibus vomitum ciere suadent veteres, dum vomitoria
 remitti volunt lithargyri antidotis; optimum utique fuerit, si adhuc
 in limine hærens rejici possit venenum. Varia autem sunt ista antido-
 ta, quæ contra potam argenti spumam ex *Nicandro & Dioscoride* com-
 mendat *Paulus*, & ex calidiorum acriumque classe petita: Sylvestris
 quidem homini semen mucilaginem præbet, nitrosus palumbis fimus
 ulcem nitri spiritum, laudatum *Hartmanni* anticolicum, in memoriam
 evocat, item laudatum passum hippenteron ex eadem officinâ sterco-
 riâ; sed myrrha, absynthium, hyssopus, piper, videntur ex hypothesi
 rigidi veneni commendari, qualia parcè tanquam condimenta misce-
 prioribus possint, substitui verò commodiora antispasmodica, nervi-
 a, grata stomachica & carminativa. De purgantibus altum ubique est
 silentium, nisi quod ex *Conciliatore Matthiolo* singulare antidotum
 adducat, quod lithargyro sit proprium, semen sc. lathyris; sed id nimis
 rusticum videtur, nec satis probatum hætenus. Cautius proceditur
 odie in exhibitione purgantium, tam in usum vocando lenia, mannam
 & similia, quàm admiscendo opium, quod aliàs atroces subinde dolo-
 res extorquent, & *Paulus* ex suâ hypothesi tanquam incrassans & me-
 iocriter refrigerans acris & mordacibus humoribus opponit; qua-
 s combinatio post *Riverium, Erastum*, quin ipsum *Galenum* solennis
 est laudato *Mortono*, qui frequentes ordinariè cum bombis dejectiones
 pilulis rhudii cum laudano citat. De cætero, cum pro diversitate
 hypothesium causam colicæ spasmodicæ quæsierint quidam in scorbutico aut
 bre alii in flatibus, hinc aliter fieri non potuit, quàm ut variè quoque passim
 commendarentur tam antiscorbutica, quàm antifebrilis, & varia pro educendis
 vitibus tentarentur; quæ quidem pende e videntur à solutione quæstionis in
 vesi undecimâ propositæ, obiter modò tangenda; Sc. herbarum acriscularum &
 maricantium succos temperantibus mixtos prioribus remediis subungi in casu
 inguoris cachectici & dispositione scorbuticâ facillè concedimus: Nec, ubi
 ara febris signa, s. jam primaria illa sit s. superveniens, aut producti rationem
 beat, corticem febrifugum negligimus, quem pariter in exacerbatis cum fe-
 tero minibus egregiè conduxisse novimus. Illud verò singulare videtur, nec
 facile cum plumbo conciliandum, nisi fortè in motu suo impeditus sanguis
 rionem suppeditet, quod *Ballonius* ex hypothesi Fernelianâ producit, colicâ
 post febres diuturnas & male curatas, ubi frustra enemata, & ubi læsi à pur-
 gantibus, suadens venæsectionem, quam more forsan gallico præsentissimum
 medium esse urget, etiam si dejectæ sint vires, cā de causâ, quod materia à
 centro per metastasin ad habitum corporis viam affectet, & cum illic resistet,
 pos-

possit educi, scilicet venâ, Suppetit nobis exemplum fœminæ, cui parietica scilicetiformi sanguis circa locum scilicet in colicâ diuturnâ, periodicâ & uti omnino suspicari fas est plumbeâ, venæ inquietus & apertionem ipse sollicitans missus fuit non infeliciter. Satis etiam paradoxa cura Bengalenſium apud *Wilb. rem Rhine* statuum patronum l. c. qui abdomen ita fricare dicuntur ac premere, ut flatus per ipsum umbilicum sensibilibiter exeat cum sibilo; quale quid per cucurbitulas obtentum legitur in obs. *Bemvenii* & in obs. *Riverio* communicatis.

XV.

Superest herculeum remedium & invicta aliâs alvi constipationi opponi solitum, sed quod à *Paulo* inter venena quoque refertur, imò eadem quæ argenti spuma inferre dicitur, *Hydrargyrum* scilicet, sive argentum vivum: De quo tamen certior experientia testatur, ipsum non quidem in fame & præparatis, sed vivum & putum hauriri innoxie, quippe quod multis per jocum cum vino exhibitam sine damno per alvum transit. Specialis autem ejus usus in colicâ spasmodicâ probari posset autoritate non unâ: Successit enim curatio feliciter *Welschio* in Decur. Curat. & bis *Toeod. Zuvingero* in ENC D. 2. A. 6. D. 3. A. 2. In iisdem D. 2. A. 10. *Mercklinus* colicæ curam per Mercurium inutilem, salutarem per balneum præcedit; prodierunt autem post balneum mercurius & excrementa, uti à *Welschio* annotatum, uti mercurius etiam à *Zuvingero* purgantibus promoveri debuit. Erat verò *Mercklini* æger sigulus, pro quo & omni colicâ plumbeâ singularis militare videretur ratio, quod Mercurius non solum pondere & mobilitate perturbat, sed & plumbi moleculas imbibere & educere valeat. Nota est duorum metallorum affinitas, & quantum per fraudem plumbi in argento vivo occultari possit. Quid si verò crederetur manna ab hæc combinatione? In ENC D. 2. A. 6. *Paulinus* notat colicam funestam à globulo plumbeo, qui mercurio illitus contra vermes fuerat exhibitus. Nova hinc exurgeret quæstio de usu cinabaris & mercurii dulcis, à quorum aliâs usu largius plorare solent glandulæ; sed quam pagellarum angustia excludit. Unicum occasione laudati balnei addimus, plerosque hinc ab ejus usu absterri traditione veteri, quâ sedari quidem perhibetur colica, sed induci parens, quamvis *Piso* de balneis, quod alii de purgantibus, quam benè ipsi viderint, asserat & prætendat, incommodum illud vi morbi inferri solere, minimè autem ab usu balnei vel semicupii, & *Erastus* adeò lætari notet ægros, cum se ab immanibus cruciatibus liberatos sentiunt, ut resolutionem ducant pro nihilo. Quicquid sit de colicis, manent tamen balnea parietica, tam artificialia, quale ex cortice betulæ paratum ferè desperato profuit, sed universali excitatâ scabie, quam naturalis; Ex his enim regionibus omnes communiter parietici mittuntur ad thermas fœrinas, optimo plerumque cum successu, de quibus, uti & de acopis

Aegineta, alii aliâs, nos solum abrumpimus.

Soli Deo Gloria!